DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

LEIENTERIA,

QVAM,

ASSISTENTE SUPREMO NUMINE,

GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU,

CONFLICTUM MODERANTE

DN. GEORGIO DANIEL COSCHWITZ,

ED. DOCT. ANATOM. CHIRURG. ET BOTAN. IN ALMA FRI-
RICIANA PROFESS. PUBL. ORDIN. POTENTISS. BORUSS. REGIS IN
COMITATU MANSFELDENS. ET APUD PALATINOS HALENS. PHY-
SICO MERITISSIMO ACAD. CÆSAR. LEOPOLD. NAT.
CUR. COLLEGA LONGE DIGNISSIMO,

PATRONO ET PROMOTORE SUO SINGULARI HONORIS CULTU DEVENERANDO

PRO GRADU DOCTORIS

SUMMISQUE IN ARTE MEDICA HONORIBUS
AC PRIVILEGIIS, MORE MAIORUM
OBTINENDIS,

Horis locoque consuetis

Anno M D CC XX VII. D. *April.*

PUBLICO ET PLACIDO ERUDITORUM EXAMINI EXPONET

RESPONDENS

CHRISTIANUS STORCH,

BREGA - SILESIVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,

Typis IO. CHRISTIANI HILLIGERI Acad. Typ.

VIRO

PRÆNOBILISSIMO AMPLISSIMO ET DOCTISSIMO

DNO. WOLFFGANG ABRAHA
SCHILLINGIO,

CURIÆ SUPREMÆ PROVINCIALIS LIPSIENSIS PROCURAT
ET JURIS PRACTICO CELEBERRIMO,

VIRO

PRÆNOBILISSIMO, AMPLISSIMO ET DOCTISSIMO

DNO. MARTIN MVSIC,

PHILOSOPHIÆ MAGISTRO, ET PROFESSORI GYMNASII B
GENSIS CELEBERRIMO.

VIRO

PRÆNOBILISSIMO, AMPLISSIMO ET DOCTISSIMO

DNO. IOHANNI GODOFRED
LAVRENTIO,

ADVOCATO LIPSIENSI CELEBERRIMO

Hasce studiorum suorum primitias in grati a
animi tesseram dicat consecratque.

CHRISTIANUS STO



DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA.

DE

LEIENTERIA.

PROOEMIUM.



Itam noſtram ingeſtionibus & egeſtionibus, aliisque rebus non naturalibus in çerta atque proportionata quantitate atque debita craſi præſentibus conſervari, quem quæſo! fugit ſanorum Medicorum? Cibos enim & potus, ſeu alimenta eum in finem in corpus aſſumimus, ut ex illis chylus laudabilis & Lympha, qua partes machinæ noſtræ artificialis ſolidæ nutriuntur, ſecernatur & ſeparetur, crudiores e contra remanentes partes per organa ſecretoria, & excretoria utpote per renes, alvum, peripheriam cutis, aliaque plura, ſub urinæ, fecum alvinarum, ſudoris & muci forma tam ſecernantur, quam excernantur atque e corpore ejiciantur

tur. Aër, quid ad vitæ conſervationem conferat, quis neſcit? Animi pathemata, eaque fortiora & vehementiora ſanitati noſtræ labem facillime inducere poſſunt. Nec motus ſolum corporis debitus, ſed & quies abſolute ad circulum ſanguinis promovendum & rite abſolvendum requiritur, quies enim corpori æque utilis eſt ac motus: *vid. Excell. Præſid. Organ. & Mechan. Sect. II. Cap. II. §. 58.* Excreta atque retenta quod attinet, illa ingeſtionem prægreſſam præſupponunt; ingeſtorum vero ſubtiliores lymphaticæ particulæ, ſi a crudioribus non ſecernuntur, atque in corpore ad ejus nutritionem non retinentur, e contra vero crudiores atque excrementitiæ partes non per organa debita excernuntur, qualis ex ingeſtis corpori adfluit utilitas? nulla profecto, ſed potius maximum damnum & detrimentum, imprimis ſi excrementitiæ particulæ in corpore remanentes, ſanguinis & reliquorum humorum maſſæ ſeſe admiſcent. Quamdiu itaque hæ ſecretiones & excretiones in debito adſunt & manent vigore, ut neque quantitate neque defectu peccent, tamdiu ſtructura corporis noſtri cum mixtione humorum illibata tenetur & conſervatur: defectu itaque peccant, ſi motus non adſunt proportioni humorum adæquati, (*vid. Illuſtr. Stahlii Diſſ. de Proportione humorum ad motus*) ut ſecernenda ſeparentur, & ſeparata excernantur & eliminentur; exceſſu vero, ſi ſecretio vel excretio proportionem ſui debitam ac naturalem tranſcendit & nimia exiſtit: ſic v.g. alvi excretio naturalis in præternaturalem ſponte permutatur, & tunc *Diarrhoëa*

ſimplex

simplex existit, qua mediante excrementa quidem alvina, sed in majori, quam decet, copia excernuntur: sic *biliosa* oritur *Diarrhoëa*, si videlicet nimia bilis acris & intestina erodentis quantitas excernitur, quæ infantibus potissimum est familiaris: sic sub *Dysenteria* quoque sanguis laudabilis atque floridus per alvum excernitur, qui tamen ad corporis augmentum impendi debuisset, quo deinceps vires prosternuntur, gravissima symptomata inducuntur, imo tristissima mors sequitur: quale quoque fatum experiuntur *Fluxu hepatico* laborantes & afflicti, sub hoc enim vel sanguis purior, hoc tamen raro, vel materia instar carnium loturæ excernitur. Tali modo sese habet alius adhuc affectus, excretio nempe per alvum præternaturalis, sub qua nec bilis in majore quam par est copia, nec sanguis, sed alimenta excernuntur, qui molestus affectus medicis a multis jam ævis sub LIENTERIÆ titulo notus existit, quem in hisce paucis pagellis pertractandum suscepi. Tu vero, TRIUNUM NUMEN concede vires atque facultatem, ut hæc tractatio atque cuncta conata mea in Tui gloriam, & in solatium ægrorum vergant atque per tingant.

§. I.

LIENTERIA quid sit, & unde denominationem suam capiat & significationem, omnibus sine dubio notum est ἰατροτέχναις: hinc supervacaneum fere esse putamus de illa prolixius agere; verum enim vero mori aliis consueto ut satis facia-

faciamus, & in tractatione nostra ordine procedamus, paucissimis de ortu hujus vocis dicemus: sciendum itaque, Lienteriam componi ex græcis verbis λεῖον læve, & ἔντερον intestinum; græcis quoque audit λειότης τῶν ἐντέρων vel λειεντερίη, Latinis intestinorum lævitas, qua græca quoque utitur voce *divus Hipp. Aphor. Sect. VII.* 76. dicens: ἐπὶ δυσεντερίῃ λιεντερίη ἐπιγίνεται.

§. II.

Ne autem nominalis tantum, sed realis quoque affectus nostri *Definitio* innotescat, ad hanc ulterius progredimur, & cum aliis Medicis Practicis asserimus, quod Lienteria sit excretionis præternaturalis aliqua species, & quidem alvinæ, sub qua non sanguis, nec alius humor, sed cibi & potus ingesti, vel plane non, vel aliquatenus tantum concocti, vel jam in chymum, vel in chylum vix conversi, paucis post pastum horis per intestinorum canalem excernuntur & ejiciuntur. Huic nostræ sententiæ sese veterum Medicorum subscribunt nonnulli, inter quos *J. Antonid. van der Linden in meletemat. med. Hipp. Lib. III.* 101. inquiens: *Lienteria est, cum chylus aut crudior cibus potusve dejicitur*: & *Arnold. Villanov. in Breviar. Lib. II. cap.* 22. ubi ita definit Lienteriam: *est fluxus ventris cum lævitate intestinorum & stomachi, in qua cibus atque potus indigestus, quasi in eadem qualitate, in qua sumitur, per secessum emittitur.*

§. III.

Distinguitur hic noster affectus a Practicis respectu gradus in *Lienteriam* proprie sic dictam, & *passionem* vel *fluxum cœliacum*, qui derivatur a græco verbo, κοιλία, venter, estque idem ac si dixeris, *Ventris fluxus.* Der Bauch-Fluß. Lienteriam itaque vocant, ciborum crudiorum, sicuti erant ingesti, & minus alteratorum excretionem, videlicet, si post pa-

stum

ſtum ſtatim, antequam in pultaceam convertantur ſubſtantiam, excretio illorum ſequitur: ſub Fluxu vero cœliaco intelligunt eliminationem quidem ciborum ingeſtorum, qui vero non poſt aſſumtionem ſtatim, ſed in chymum jam redacti, lacteum quaſi vel albicantem colorem referentes, paucis poſt paſtum horis excluduntur. vid. *ſupracitat. J. Anton van der Linden meletem. Med. Hipp. Lib. IV.* 46. inquiens: Ab alvo exiens crudior chylus quidem, cœliacam; cibus vero, Lienteriam ſignificat. Leviorem itaque gradum fluxus cœliacus, ſummum vero & primum Lienteria conſtituit: Diſtinguitur porro in idiopathicum & ſymptomaticum, prior eſt, ſi ſine alio cardinali morbo conjunctus adeſt, poſterior vero, ſi cum alio morbo vel chronico vel acuto combinatur: ſic ſæpius accidit, ut Lienteria, Diarrhoeæ, Dyſenteriæ vel aliis morbis acutis ſuperveniat, ubi ſane curatu eſt difficilor, de quibus infra prolixius agemus.

§. IV.

Quis vero ex his ſupra dictis non facile videt, harum differentiarum primam non eſſe eſſentialem, ſed unam affectus hujus ſpeciem, eamque ab altero gradu tantum, vel quoad majus & minus differre, hinc (quia entia in medicina non ſunt multiplicanda) huic diſtinctioni jure meritoque ſuper ſedemus & Lienteriæ titulum ſolum retinemus, ac utrumque hunc affectum ſub uno titulo comprehendimus ad normam J. Dolæi, qui in Encyclopæd. Cap. III. §. I. dicit: *cum hi affectus* (Lienteriam putat & cœlicam paſſionem) *non multum inter ſe differant, ſimul illos pertractare animus eſt.* Ad quod accedit illud, quod fluxus cœliaci nomen, nil niſi communi termino ventris denotet profluvium, qui vero terminus pro determinanda affectus ſpecie non ſuffi-

sufficit, nequaquam enim sub ventris fluxus titulo solum hunc specialem fluxum, sed alia quoque ex ventre profluvia intelligere possumus: nonne enim dysenteria & diarrhoea, tam serosa, quam biliosa, & fluxus hepaticus sunt fluxus ventris? hinc superfluum esse censemus, duplicem affectus pathologiam prosequi, sed potius Lienteriæ titulum secundum diversos ipsius gradus perpendimus, & consideramus, præsertim cum experientia doceat, hos ab antiquis distinctos adfectus se invicem multoties excipere atque sequi.

§. V.

Differt vero hæc catoterica excretio ab aliis profluviis alvinis: sic a Diarrhœa distinguenda est serosa 1) ratione materiæ excretæ, in hac enim materia seroso-mucida excernitur, in illa vero alimenta ad corporis αὔξησιν ingesta: 2) respectu salubritatis & noxæ, diarrhoëa enim est institutum naturæ salutare, sub qua mucidæ illæ serosæ partes, naturæ molestæ, & œconomiæ animali damnum facile inducentes, excernuntur & expelluntur; Lienteria vero non salubrem, sed noxiam potius & erroneam indolem involvit, sub illa enim chylosæ & nutrientes partes, uno verbo, alimenta sicuti ad corporis nutritionem erant ingesta, excernuntur: differt 3) ratione subjecti generalis & specialis 1) generalis, diarrhoëæ enim serosæ variæ, sexus, temperamenti & ætatis personæ subjiciuntur, lienteriæ vero senes ut plurimum, & infantes: 2) specialis illius, nempe diarrhoëæ subjectum speciale constituit, intestinorum canalis, eorum glandulæ, hujus vero, lienteriæ ventriculus, intestina & vasa chylifera: 3) ratione causæ proximæ, saburra enim in diarrhoëa peccat viscid mucida, hic vero laxitas & lubricitas primarum viarum & vasorum chyliferorum obliteratio accusatur: 4) re-

spect

ſpectu cauſarum occaſionalium & ſignorum, de quibus omnibus ſuo loco infra prolixius & accuratius agemus.

§. VI.

Alia vero adhuc *Differentia* notanda occurrit inter affectum noſtrum, & Diarrhœam bilioſam, differunt enim inter ſe invicem *tam* ratione materiæ excretæ, bilis enim ſub hac, neutiquam vero ſub illo excernitur: *quam* ratione ſubjecti generalis & ſpecialis huic enim varii ſexus & ætatis perſonæ, illi vero infantilis potiſſimũ ac ſenilis ætas ſubjicitur. A fluxu quoque differt Epatico, ſub hoc enim plane liquida contingit excretio materiæ vel ſanguinolentæ, vel loturæ carnium ſimilis. Nec non a Dyſenteria differt noſtrum alvinum profluvium, illa enim eſt alvi profluvium impetuoſum, plus minus cruentum, epidemicum & contagioſum cum graviſſimis ſymptomatibus combinatum, valde periculoſum, a cauſa epidemica ſeu communi ortum: noſtrum vero profluvium non eſt impetuoſum, quamvis haud ita tacite contingat, nec cruentum, non enim ſanguis niſi data aliqua cauſa occaſionali, excernitur; multo minus epidemicum & contagioſum: cum ſymptomatibus quidem ſtipatum eſt, quæ vero reſpectu gravitatis longe a ſymptomatibus dyſenteriæ familiaribus diſcedunt: nec adeo periculoſus hic noſter eſt affectus, niſi cicatriſationem inteſtinorum poſt dyſenteriam excipiat, vel morbis acutis & chronicis ſuperveniat; idiopathicus vero ſi exiſtit, facile tranſit; inducta enim rurſus, relaxatis partibus, atoniæ remotione, ſponte remittit: multo minus a cauſa epidemica oritur, aër enim in ſe ſpectatus aut miasmatibus refertus, ut lienteriæ cauſa nullatenus eſt accuſandus. A fluxu quoque differt hic noſter affectus hæmorroidali, hic enim actus

est naturæ autocraticus in salutem animalis œconomiæ institutus, quantum enim ad sanitatem tuendam vitamque conservandam (non in omnibus quidem hominibus, sed certis tantum individuis) faciat, quotidiana testatur experientia: ille vero non salutaris sed noxius potius est affectus, virium prostrationem post se trahens.

§. VII.

Breviter itaque explicata differentia inter lienteriam & alias alvinas excretiones devolvimur ad *Signa pathognomica*, quibus affectus noster dignoscitur, quæ antea sunt evolvenda & recensenda, quam ad *Symptomata, Subjecta, Caussas, Prognosin, ipsamque Curam* progrediamur: quomodo enim quæso! morbo, qualiscunque demum sit, medetur, nisi prius, an talis sit, ex signis diagnosticis dijudicetur: hinc optime Celsus Præf. L. I. p. 13. monet: *Cujus rei non est certa cognitio, ejus opinio certum reperire remedium non potest; verumque est, quod ad ipsam curandi rationem nihil plus conferat quam experientia.* Pauca quidem prostant signa, quibus alvina hæc excretio dignoscitur, per multa enim illa, quæ Practicorum varii pro signis habent, symptomatum potius, quam signorum, numerum subeunt: sic ad signa referunt dolores & murmura abdominis, cardialgicas stricturas, appetitus plenariam prostrationem & nauseam, de quibus infra, quando symptomata pertractabimus, acturi sumus, & quod ad symptomata non vero ad signa pertineant, demonstrabimus. Ut vero propius ad signorum enucleationem & recensionem accedamus, notamus, quod quidem non opus sit multa in medium proferre signa, cum talis existat hic affectus, qui se ipsum prodit excretione certæ materiæ, ut a medico, adstantibus, ipsoque ægro facile revelari possit: verum

enim

enim vero, cum hæc ſigna ab aliis defluxionibus alvinis aliquomodo differant, pauca ad diſtinctionem eorum addere, haud ſupervacaneum, ſed neceſſarium potius eſſe ducimus.

§. VIII.

Differt igitur Lienteria ratione ſignorum a Diarrhœa & Dyſenteria, inprimis conditione excrementorum, vid. ſup. §. V. præcipuum igitur & principaliſſimum eſt Lienteriæ ſignum, ſi ſub illa neque mucus, neque ſerum, neque bilis, neque ſanguis, nec alius humor, ſed ſubſtantia fluxilis ſubalbi coloris, id eſt, ipſa ingeſta, vel plane non, vel aliquatenus alterata, excernuntur, quæ vero excreta materia odorem nauſeoſum, multo minus fœtorem rariſſime exhalare ſinit: interim hæc eſt notanda differentia, ſuperius jam citata, inter ipſam materiæ excretæ conditionem, cibi enim ſi plane non alterati excernuntur, *Lienteriam*, aliquatenus vero alterati & in chymoſam & ſemichyloſam ſubſtantiam permutati, *Fluxum coëliacum* conſtituunt. Porro ſignum conſtituit, quod non omni tempore contingat, ſed notante Hippocrate & C. Celſo autumnali magis præ aliis anni temporibus, & ſi contingit, non die nocteque duret & continuetur, ceu diarrhœa & dyſenteria, ſed tantum poſt ingeſtionem ciborum eveniat, & excretis illis ſponte tranſeat, donec poſt novam ingeſtionem nova excretionis ſuppeditetur materia, & ſicuti aliis profluviis alvinis tormina, inteſtinorum morſicationes, aliaque graviora ſymptomata ſuperveniunt, ita parum illorum in Lienteria obſervatur, niſi cauſa occaſionalis aliqua illa provocaverit. Diverſitas vero excrementorum, ut ſupra jam diximus, præcipuum eſt ſignum, reliquisque cunctis palmam præripit, illa enim ut ſigna magis generalia aliis quoque affectibus familiaria, hoc

vero ut speciale Lienteriæ signum est habendum. Ubi vero adhuc monemus, judicium Medico hic esse adhibendum, ne statim & semper Lienteriam adesse putet, ubicunque semel aut alterutra vice Cibi indigesti egeruntur. Lentes enim, Passulæ, aliaque concoctu difficilia, naturæ molesta ingesta non alterata, nec in chylum mutata, si (quod ipsis solenne est) aliquando excernuntur, non Lienteriam statim indicant, imprimis si nec debitæ causæ, nec ordinaria adsunt symptomata Lienteriam concomitantia.

§. IX.

Sunt vero symptomata huic adfectui communia constrictiones spasmodicæ in intestinis fientes, cardialgicæ quoque sæpius stricturæ, cum appetitus plenaria prostratione & nausea, ita ut hoc morbo laborantes dicere & conqueri soleant: Sie haben nicht den geringsten Appetit zum Essen, ja wenn sie auch denn und wenn was Essen wolten, so eckelte es ihnen, wenn sie nur Speise sähen: ante sedem gravamen circa ventriculum sentiunt. Hæc vero omnia recensita symptomata ratione gravitatis tantum non agnoscunt gradum quantum in dysenteria (putamus vero idiopathicam Lienteriam, non vero symptomaticam, ut symptoma enim, si dysenteriæ vel alii diuturno morbo supervenit, eadem & graviora fere experiuntur afflicti symptomata hinc optime Hipp. Aphor. S. VIII. 5. inquit: *Ex morbo diuturno alvi defluxus malum*) Nec possumus, quin corporis emaciationem pro symptomate Lienteriam concomitante accusemus, ingesta enim, quibus corpus nutriri debet, si minus digesta & concocta excernuntur, nutrimenti defectus, hunc vero debilitas & corporis macies e vestigio sequuntur.

§. X.

Ut *Subjectum* Lienteriæ *generale* potissimum infantes, vel senes, vel illos accusamus, qui a multis prægressis imprimis diuturnis morbis afflicti fuerunt atque debilitati, ut & fœminas præ viris: hi vero omnes, etsi pro subjecto declarentur, non igitur negamus hunc affectum aliis quoque vel adultioribus vel in virili ætate constitutis, vel viris accidere posse, sed tantum cum a potiori fit denominatio, hos supra memoratos pro subjecto declaramus: hujus enim veritatem tam a priori, quam a posteriori probabimus: *a posteriori* si probatio nobis incumbit ad experientiam & authoritatem practicorum celeberrimorum tam antiquorum, quam modernorum, quibus & merito Exc. Domn. Præses accensendus, provocamus, hi uno ore fere omnes profitentur, senes & infantes cum fœminis præ aliis huic affectui subjici: *a priori* vero probationem a conditione & constitutione infantum, senum, & fœminarum desumimus, illorum enim, nempe infantum partes tanto non robore gaudent tonico, quo adultiorum, hos vero in genere & utplurimum debilitate toni & relaxatione ventriculi & intestinorum laborare quis est, qui nescit? imprimis si Phlegmaticum temperamentum concurrit, tunc vigor sufficiens & motuum activitas deficit: diuturnis vero & gravissimis morbis afflictas & debilitatas personas pro subjecto generali accusare minime dubitamus, hoc enim per se elucescit, debilitatem partium, & toni defectum, diuturnos morbos proxime sequi: Fœminas præ viris pro subjecto declarat Celeb. Nenterus, & quidem optimo jure, hæ enim si præ viris magis sedentariæ vitæ deditæ sunt, activitas quoque naturæ & motuum ad incitas redigitur, debitum enim motum ad concoctionem & digestionem ciborum,

borum, chylique distributionem requiri, in prooëmio jam pluribus demonstravimus, ne dicam, quod Fœminæ comparative semper humidiores deprehendantur.

§. XI.

Speciale Subjectum constituit Ventriculus, cum Intestinis, & vasis chyliferis: calor enim naturalis & debitus ventriculi, si deficit, concoctio quoque ciborum labefactatur, hac vero labefactata, cibi ingesti in ventriculo dissolvi nequeunt, sed viam excretionis ante digestionem quærunt, quæ nulla alia est, nisi intestinorum canalis: hic vero iterum, illa differentia inter Lienteriam & cœliacum fluxum notanda occurrit, in illa enim ventriculi relaxationem, in hoc vasorum distributioni chyli dicatorum malam dispositionem accusamus. Chyli enim distributio, quomodo peragitur, his fusius non explicabimus, hoc enim ex anatomicis innotescit & desuper B. L. Exc. Præs. Organ. & Mechan. Sect. I. Cap. II. perlegendum commendamus, ut & Ill. Bohn. circ. Anat. progymnas XXII. Distributio enim chyli præsupponit ciborum concoctionem, & in chymum ac chylum reductionem, illa fit in ventriculo, hæc in duodeno sub admixtione humoris pancreatici; utraque igitur hac rite peracta chyli fit distributio: hinc facile patet, ventriculi laxitatem ad chyli distributionem nihil facere, & consequenter fluxus cœliaci subjectum stricte non constituere sed Lienteriæ: vasa e contra chylifera, si obliterata sunt, ut chylus debite per villosam tunicam transprimi non possit, subjectum fluxus non constituunt Lienterici, sed cœliaci, ubi vero monemus, nos tali in casu præsupponere concoctionem ciborum eorumque digestionem jam peractam, deficientibus enim his, chylus quoque, quamvis vasa chylifera sint aperta, distribui nequit. vid. Wedel Physiolog. Reform.

Sect.

Sect. III. Cap. 3. *Si modo bene coquat ventriculus, non fit tamen Lienteria.*

§. XII.

Missis his ad *causas* Lienteriæ earumque tractationem properamus, ubi primo consideranda venit *Causa Proxima*, quæ consistit partim in laxitate, lubricitate & lævitate primarum viarum, partim quoque in vasorum chyliferorum obliteratione. Ventriculi hanc ob causam laxitas & lubricitas, ut proxima causa accusanda venit: illa, si ventriculus debito non instructus est robore tonico & naturali calore, facultatem quoque concoctricem & retentricem (uti Veteres locuti sunt) amittit; hæc vero, quia cibi ingesti in ventriculo ob materiam lubricam ac parietes lubricantem, satis diu retineri nequeunt. Notum enim est ex Anatomicis ventriculum ex variis esse compositum tunicis, quarum interior villosa est, quæ cum nervea rugas in ventriculo constituit, & aspera est; hæ vero rugæ, si a pituitosa illa & mucida materia obducuntur, contenta retinere nequeunt, sed ad intestina meare patiuntur.

§. XIII.

Causam vero *antecedentem materialem proximam* constituit nimia humoris seroso-mucidi in ventriculo & intestinis præsentia, quæ quoque diarrhoeæ serosæ est causa, sub illa enim ejusmodi excernitur materia. Alio vero modo hic peccat illa seroso-mucida materia in nostro affectu, sicut enim in diarrhoea materiam excretionis constituit, ita in nostro casu parietibus Ventriculi & intestinorum adhærendo, impedit humoris salivalis & gastrici secretionem, impedita vero hac, effectus quoque dissolutorius ciborum tollitur: in intestinis vero mucida illa serosa colluvies æque ac in ventriculo lubricitatem & lævitatem, imo aliqualem toni relaxatio-

nem

nem producit, ut cibi ad ventriculum delati non satis digeri & concoqui possint: Notum enim est, quamprimum esculenta & potulenta, vel alia quoque utilia, vel noxia, ad ventriculum delata fuerint, statim naturam motus ad hanc præcipue partem dirigere, & Ventriculum peristaltico motu moveri, ut vel cibi concoquantur, vel alia naturæ molesta ejiciantur. Neque aliquis sibi persuadeat, rugas ventriculi in nostro affectu penitus deleri, hoc enim si esset, cibi in ventriculo, quasi in sacco hærerent & in illo remanerent, neque expelli possent. Hunc vero in finem rugæ illæ sunt a sapientissimo Creatore adornatæ, ut sub illarum attritu, a perpetuo peristaltico motu contingente, ea quæ in ventriculo & intestinis hærent, tam dissolvantur, quam excernantur: materia vero seroso-mucida, si in copia hic confluat, rugas has oblinit, ut officio suo rite fungi nequeant; & tali modo fit Lienteria.

§. XIV.

Temperamentum Phlegmaticum vel magis tale referimus ad *antecedentes remotiores causas*, in affectu nostro idiopathico: in symptomatico autem morbosas alias læsiones antecedentes; quis enim dubitabit, ab utraque causa relaxationem toni & intestinorum oriri posse? in phlegmatico enim temperamento semper talis præsto est materia seroso-mucida, quæ laxitatem & lubricitatem ventriculo facillime inducit: Morbos si spectamus præsentes ad hos referimus Icterum, Hydropem, Febres lentes & hecticas, diarrhoëasque diuturnas, imo Dysenteriam: his enim præsentibus ventriculus & intestina ita sæpe debilitantur, ut talis exinde oriatur affectus symptomaticus. Quod enim Lienteria dysenteriam sæpius sequatur, divus jam suo tempore notavit Hipp. Aphor. Sect. VII. 76. dicens: *A dysenteria*

ria intestinorum lævitas supervenit. Aliquando quoque, sed paulo rarius causæ occasionales ab extra quasi accedentes productioni nostri adfectus favent; sic aër autumnalis hic accusandus venit, ille enim frigidus & humidus relaxationem fibrarum inducit: imprimis vero autumnali tempore talis oritur adfectus lientericus a fructibus horæis, quibus tunc temporis vescimur, succo acescente & multum aquoso scatentibus; quo pertinent cucumeres, Melones, hujusque generis alia, hinc Dolæus in Encyclop. Lib. III. 12. observationem adducit de Medico Gallico, qui Parisiis limini ædium suarum superbifica quadantenus manu structarum hoc gallicum distichon aureis inscripsit literis:

Les concombres & les melons
M'ont faire bastir cette maison.

Olera quoque aliique cibi succo tali aqueo aut acido imbuti atque repleti occasionem præbent huic affectui, imprimis si in vasis coquuntur cupreis, & in illis diutius, quam debent asservantur, liquor enim ille acidus oleribus & fructibus horæis inhærens portionem cupri resolvit, ut in viride æris quasi mutetur, quod cibis sese insinuat & cum illis ad ventriculum & intestina delatum nauseam, torsionem aliosque producit effectus, stimulando enim acrimonia sua & vellicando tunicas ventriculi & intestinorum occasionem præbet naturæ & ansam, ut majorem humorum serosorum huc affundat & compellat copiam, qua motum excretorium non solum, sed & dilutionem noxiæ materiæ intendit. Talem acidum & rodentem liquorem ventriculo acrimonia sua æque ac reliquis partibus damnum inferre summum testatur casus ab Excell. PRÆSIDE communicatus, ubi Nobilis quidam senex Polonus moneta-

tarum cuprearum denarii magnitudinem excedentium N. 288. (ex joco sub pulte in ventriculum deglutivit, quas per longum tempus in illo retinuit, donec tandem concurrente affectu lienterico exitum per anum invenerunt, adeo ab acrimonia liquoris illius acris in ventriculo hærentis arrosæ, ut effigies Regia vix dignosci potuerit. Hinc quoque *Excell. Dno.* PRÆSIDE *in Pathologia sua sub prælo sudante, præeunte*, hunc nostrum affectum non pro pure passivo declaramus; sed simul pro activo & autocratico naturæ instituto, certis vero & distinctis respectibus: si enim partem proxime affectam, nempe Ventriculum cum intestinis pro subjecto proprio consideramus inque hoc subjecto causam quærimus proximam atque materialem, simulque ad individua, quibus idiopathice familiaris esse solet, respicimus & attendimus, quod vel Phlegmaticis personis vel senibus vel infantibus eveniat, vel affectibus hydropicis aliisque diuturnis profluviis alvinis prægressis succedat, non possumus, quin primarum viarum atoniam accusemus, ideoque illud profluvium respectu affectæ partis, tanquam passivum agnoscamus; si autem ulterius progrediamur & in corpore affluxus seroso-mucidæ materiæ huc congestæ originem inquiramus, facile patebit, naturam tanquam causam efficientem esse agnoscendam, quæ remotiore ordine, propter materiæ peccantis præsentiam hic agit atque concurrit.

§. XV.

Hic vero simul incidenter notandum, atoniæ vocem non semper strictissimo sensu in medicina sumi atque occurrere, & ita explicari debere, quasi totam semper abolitionem aut resolutionem toni partium indicet atque supponat, qualis in affectibus paralyticis

&

& apoplecticis observatur, sed sæpius etiam pro nimia saltem toni relaxatione assumi, quæ vel magnam partium distensionem & expansionem, vel humidam earundem emollitionem sequitur, ideoque flacciditatem præternaturalem & comparativam designare. Defectum vero actus nutritionis & distributionis nutrimenti hic concurrentem, quod attinet, non dubitamus, eundem in præsente casu ad pathemata & læsiones esse referendum, cum utique hic læsio mechanismi partium præsto sit, per obliterationem viarum chyliferarum: quamvis alio respectu neglectus nutritionis in abstracto considerates utique non a mechanismo partium dependeat, sed ad principium agens sit referendus, qui si in nostro affectu forsan concurrens observetur, rectius pro effectu & consequente morbi morali, quam pro causa affectus antecedente agnoscendus esset.

§. XVI.

Ad curam hujus adfectus antequam propius accedamus, de Prognosi illius breviter agemus, hanc Medico scitu esse necessariam, recte Cous jam suo inculcavit atque notavit tempore: vid. *Proëmium prognost.* quid enim frequentius accidit Medico, quam, si ægrotantium lectos adit, ut ab illo contendant, qualis sit illorum morbus, an chronicus, an acutus, an periculosus, vel quid & qualis eventus de illo sperandus sit: sic quæstiones instituere vulgo solent: Wird es auch wohl Gefahr mit meiner Kranckheit haben, oder werde ich wieder aufkommen: hic sane Medico incumbit, ut, quantum potest, ad has quæstiones rite & promte respondeat, ubi vero simul Medico juniori imprimis suademus, ne nimis tutos reddat ægros, felicemque illis promittat curam, pristinamque valetudinem, sinister enim si sequitur eventus, fama Medici læditur, ejusque autoritas.

Hisce præmissis ad signa nostri affectus prognostica progredimur, de quibus in genere sciendum, utrumque affectum, gradu tantum diversum, non pronihilo esse habendum, nec contemnendum: universo enim corpori præsentia illius subtrahitur nutrimentum, hoc vero subtracto corpus non augetur, e contra vires prosternauntur, & sic profecto tristis est sperandus eventus. Sic optime Riverius Prax. Med. Lib. X. Cap. V. monet, inquiens: Lienteria & cœliaca passio, si diu perseverat periculosa est, quoniam toti corpori nutrimentum subripit: *Lienteriam vero periculosius esse malum cœliaca vult Sennert. Lib. III. part. II. Sect. II. si quidem* dicit, a majore caloris nativi prostratione & toni ventriculi debilitatione provenit. Adduximus §. 3. distinctionem aliquam, inter hunc nostrum affectum Idiopathicum & Symptomaticum, de qua pauca notanda veniunt: Idiopathicus si existit, tam periculosum non minatur eventum, quam si ut symptoma alii morbo acuto supervenit, vel chronico, si nempe mox transit, semel enim, bis aut ter quando recurrit, & postea curatur, nullum ulterius damnum præ se fert, quam aliqualem corporis & virium defectum & lassitudinem, quæ vero paullatim bona & laudabili diæta, vel remediis emulsivis, lymphaticas particulas secum gerentibus restituuntur: sic enim diarrhoëa sub qua non seroso-mucidæ tantum, sed lymphaticæ simul & nutrimento corporis inservientes particulæ excernuntur, non semper est lethalis, quamvis vires corporis illa consumantur. Tali quoque modo sese habet Dysenteria, sub qua sanguis quidem copiose excernitur, debitis vero remediis si tempestive sistitur, nullum ulterius corpori inducit damnum: hinc concludimus: *Lienteriam* non diu durantem, non adeo esse funestam

& lethalem: quod de cœliaco quoque fluxu notandum, hic pro causa agnoscit vasorum obstructionem & oppilationem, distributioni chyli dicatorum, quæ si diutius obstructa manent, affectum reddunt lethalem & funestum. Sennert. Lib. III. p. II. Sect. II. Cap. V. In cœliaca res fere desperata est, si morbus diutius duret, ægris ad convenientem diætam pigrescentibus: e contra vero, si mox laudabili chyloso humori transitum concedunt, sponte transit.

§. XVII.

Quo minus vero periculum, *Idiopathicus*, eo majus symptomaticus minatur; acutis morbis, si ut symptoma conjungitur pessimi est eventus; etenim morbi acuti in se spectati solitarie & sine alius morbi concursu præsentes periculosi sunt; ad hos enim curandos & materiam in illis peccantem subigendam & expellendam sufficiens naturæ motus requiritur, qui vero sæpesæpius in illis deest; si itaque hic affectus noster concurrit, eo major corpori & viribus debilitas inducitur, hinc ut symptoma aliis morbis superveniens periculosior est idiopathico: cum in tali statu non purum symptoma, sed morbum quasi complicatum, constituat. Eandem tragoediam ludit in illis, qui chronicis laborant morbis & diuturnis, hos enim prostrationem virium e vestigio sequi, quis est sanorum Medicorum, qui nescit? si itaque hic affectus ut symptoma chronicis se adjungit morbis, eheu! quænam remanebit convalescendi spes? huic nostræ sententiæ applaudit Sennertus loco supra citato, dicens: *Lienteria, quæ acutos morbos & chronicos sequitur, difficulter curationem admittit, ob virium debilitatem* & Hipp. Aphor. Sect. VIII. 5. inquit: Ex morbo diuturno alvi defluxus malum. Atrophiam enim, Hecticam, Cachexiam, Hydropem aliaque

post se trahit mala: *Ad dysenteriam quoque, si intestinorum lævitas superaccedit*, malum, idem affirmat Senex Aphor. Sect. VII. 76. & quis quæso est, de hujus asserti veritate dubitans: corpus enim emaciare diuturnis dysentericis profluviis, experientia docet. Gravidis quoque lienteria est periculosa atque sontica ob abortiendi timorem, & quidem ex supra citato argumento, deficiente enim ciborum concoctione, eorum digestio, hac vero deficiente chymificatio, chylificatio, ejusque distributio, ad incitas redigitur, ubi vero nullus chylus unde sanguis? Sanguinis enim defectum obitum foetus causari & abortum provocare, notissimum est. vid. divi Senis Aph. S. V. 34. dicens. Mulieri in utero gerenti, si alvus multum fluxerit, periculum, ne abortiat. Senex ille gravis quidem de alvi fluxibus generaliter loquitur, interim nostrum lientericum fluxum ad præternaturales catotericas corpus emaciantes excretiones pertinere, nemo sanæ mentis compos in dubium vocabit. Priusquam vero tractationem de prognosi hujus affectus ad finem perducamus, paucis adhuc aliqua prognostica signa affectus hujus eventum vel malum vel bonum indicantia in usum practicorum imprimis juniorum addere placet, hinc notandum; si ructus superveniat diuturnis lienteriis acidus, qui antea non aderat, bonum esse signum. Hipp. Sect. VI. Aph. I. hujus assertionis probatio facile demonstrari potest, si perpendimus ructus ventriculi certo respectu concoctionem indicare, vid. Excell. PRÆSID. Organ. & Mechan. Sect. I. Cap. II. §. 91. hæc vero, si post diuturnam redit Lienteriam, de soluto morbo testatur, & ut Sennertus loquitur signum est, naturam operis sui reminisci; e contra vero pessimum est signum, si cum difficili respiratione & lateris punctura combinata est Lienteria teste Hipp. in Coacis.

§. XVIII.

§. XVIII.

Prodeat nunc in conſpectum *Tractatio* noſtri affectus *curatoria*, ubi ſub initio monemus, differentiam illam §. 3. 15. & 16. ſupra citatam hic eſſe obſervandam, ubi aſſeruimus, illum diſtingui in *idiopathicum* & *ſymptomaticum* hæc diſtinctio quoque imprimis in Praxi reſpicienda eſt. Ab Idiopathico igitur exordiemur, de quo experientia docet, illum rariſſime in praxi occurrere medica, & ſi forſan occurrit, cauſam occaſionalem pro fundamento ut plurimum agnoſcere, cuprum nempe olera, vel hujus generis alia, de quibus ſupra plura, ubi de *Cauſis* egimus.

Hujus methodus medendi duabus fundata eſt indicationibus, quarum *prima* eſt, ut materia peccans in ventriculo & inteſtinis hærens, hunc affectum producens abſtergatur; altera vero, ut robur tonicum partibus hiſce debilitatis per debita medicamenta reddatur, illisque inducatur. Hunc in finem maxima Medicamentorum a Practicis farrago eſt collecta, & commendatur, ne vero omnia illa remedia recenſendo tempus teramus, & B. L. moleſti ſimus, ad noſtram medendi methodum & Curam hujus affectus tranſimus, noſtraque vela expandimus. Ut quoque ordine procedamus, oculum ad primam indicationem dirigimus, quæ utique alteram antecedere debet, eſtque illa materiæ abſterſio. Cum vero nihil moveri debeat, quod non antea ad mobilitatem ſit redactum, tale quid hic quoque obſervandum: hinc antequam materiæ ſeroſo-mucidæ hic peccantis excretionem intendamus, illa prius ad mobilitatem eſt diſponenda & diluenda, quod optime fit per *ſalia incidentia* tam *alcalina*, quam *neutra*; ad *priorem* claſſem pertinet Sal Tartari, Abſynth. C. B. aliaque ex plantis parata Salia: ad alteram vero

Arc.

Arc. dupl. Tartarus Vitriol. Sal digest. Polychrestum & Nitrum antimoniat. absorbentia cum acidis mixta, conchæ citr. Vel lap. Cancrorum cum succo Citri vel acido Tartari saturati. Ex his pulvis præparari potest, cujus scrup. un. ad drachm. sem. unc. pro una dosi capiat æger, illudque per aliquod tempus est continuandum. Reddita tali modo materia peccante mobili, ad primæ indicationis alteram quasi partem materiæ nempe hujus præparatæ excretionem est progrediendum; quæ fit per leniora balsamica abstergentia, hæ enim stimulantibus & laxantibus fortioribus palmam hic præripiunt; hunc in finem commendamus *Rhabarbarum* in jusculo assumendum, aloëtica leniora & sennata, quæ sibi invicem secundum justam & adæquatam proportionem mixta in hoc affectu conducunt, nec *Manna* plane est rejicienda, cum illius usus imprimis abstersionis scopo nobis satis sit expertus: vel pilulas balsamicas ad normam Ill. Stahlii & Becheri paratas, quarum No. XV. aut XX. pro dosi quotidie capiat æger; hisque per duos tresve dies est continuandum. Hæc vero in forma pilularum propinata, cum longius temporis spatium, antequam effectum edant debitum & speratum, requirant, vel ægro (cui forsan pilulæ non arrident) nauseam deglutiendo pariant, illis solvendis optime affunduntur *Aqu. Chæref. Menth. &c. duæ drachm. ad dim. unc.* quæ mixtura una vice propinari potest ægro, & sic materiæ peccantis præparatio, illiusq; simul excretio absolvitur, & hoc tanto melius, si remedia incidentia cum laxantibus invicem sibi mixta propinantur, sic *dimidia pars pulveris ex incidentibus salibus parati*, paulo ante commendati misceri potest, cum anatica portione *pulveris Pilularum Stahlii vel Bech.* hujusque mixti, Scrup. un. vel drachm. dim. pro una dosi assumi. Idem quoque fit remediis e

regno

regno vegetabili desumtis simplicioribus, quo spectant Herbæ & radices incidentes & resolventes. *Rad. Enul. pimp. alb. Vincetox. Caryoph. & V. aper. HB. Marrbub. alb. Capill. Vener. Scolop. Ceterach. Cuscut.* quibus addi possunt *Rhabarbar. Ver. Rad. Polypod. HB. Epith. Fol. Sennæ, Agar. & leniora* carminativa. *Cort. Aurant. & Citr. Sem. Anis:* ex his nodulus conficiatur, illique vinum affundatur, de quo singulis diebus semel aut bis capiat æger haustum: In personis phlegmaticis commode additur *Rad. Imperat.* & inter purgantia *Rad. Mechoac. alb.* & parum *Jalappæ.* Tale infusum materiam peccantem incidit & resolvit illamque per admixta laxantia educit. Hæc vero Methodus, si minus arrideat, sed incisionem materiæ ejusque absterfionem seorsim instituere placeat, tunc dissolutio commode quoque fit per supra commendata vegetabilia incidentia, omissis laxantibus; absterfio vero solis laxantibus & abstergentibus, *Pilulis* nempe de *ammoniac. Forest.* vel aliis ex gummatosis resolventibus paratis Stahlianis & Becherianis. Pilulæ quoque sic dictæ Polychrestæ Exc. PRÆSIDIS Summas in absterfione materiæ hujus peccantis, laudes merentur.

XIX.

Altera Indicatio, Roboratio nempe tonica obtinetur exhibitione subadstringentium remediorum quibus quoque tonica aromatica & roborantia sunt interponenda aut miscenda. A sub adstringentibus vero est incipiendum, quo pertinent *Corall. Rub. Terrar. Sigillat. Species:* quibus si speratum non edunt effectum adstringentia subjungenda sunt: & nervina tonica roborantia, quorum præcipua sunt, aromatica oleosa, volatilia resinosa, amara, ex *Absynth. Nucist. Cinam. Croco. Myrrh. aliisque parata, quo nomimine, Ess. Absynth. vel simpl. vel compos. Elix. PP. cum Rhab. præsertim cum Vino Malvatico extractum. Sal volatile oleosum*

 sylv.

sylv. Ess. Cost. dulc. Pimpin. alb. Cinam. Elix. Polychrest. Dn *PRÆSID.* ad gut. X. XV. ad XXX. bis vel ter de die una hora ante prandium & coenam se commendant: optimum quoque usum præstant Martialia & imprimis Crocus Martis Antimoniatus Stahl. vel Antimon. diaph. martiale, si ad aliquot grana vel cum pulvere Cort. Chaccar. vel ejus Extracto propinantur. Usus quoque Vini aromatisati & chalybeati phlegmaticis est concedendus, ob tonicam quam possidet roborationem.

Vomitoria quoque nonnulli suadent Practici, si multa adest in ventriculo hærens muciditas & viscosiditas: de quibus notandum, eorum usum non plane esse contemnendum, imprimis, si alia non obstant contraindicantia, quod vero Judicio Medici solertioris, in speciali tali casu semper adhibendo, relinquimus. Si usus externorum remediorum Medico arridet, præ aliis commendamus Emplastra ex Gummatibus, & tonicis parata: *Empl. Stomach. Crat.* & cum Frid. Hoffm. Seniore olim Archiatro Halensi Celeberr. *Empl. Stypticum. Mynf. ex Tacam. & mastich. cum ol. Mastich. vel oleum Stomach. aliaque stomachum roborantia*, item *Sacculos ex herbis tonicis, Menth. Meliss. Absynth. Fl. Rosar. &c. paratos.*

§. XX.

Symptomaticus vero si existit morbus liëntericus, tunc non ad symptoma, sed cardinalem morbum, cui supervenit maxime respiciendum est: quid enim juvat, si symptomatis remotionem curet Medicus & non morbum ipsum attendit? labor erit vanus & irritus: remota enim causa tollitur effectus. Notandum igitur, si vel acuto morbo vel chronico aliisque supervenit hic fluxus v. g. Si Ictero, Hydropi, aut febribus hecticis superveniat, hepatis referationi & glandularum est studendum, quod quoq; commode fit per laxationem cum epicrasi institutam, additis

ditis resolventibus & aperientibus : his vero si cardinalis superatur morbus, hic ut symptoma sponte cessat: Cautelæ loco notandum *primo*, ut sibi caveat Medicus, sub usu Adstringentium, ne, dum lienteriæ succurrere studet cardinali morbo injuriam faciat: *Secundo*, ut, *Opiata* si in usum trahantur, caute cum illis procedat, hæc enim in nimis magna copia propinata, tonum debilitant, & sic stasin humorum circa intestina producunt & causantur: *tertio*, ut in Lienteria nimis acria, stimulantia, calida, imprimis fortiora laxantia, exulare debeant.

§. XXI.

Antequam vero vela hujus tractationis nostræ plane contrahamus de Diæta Lientericorum adhuc pauca addere placet: Aëris usus igitur debet esse moderatus, imprimis temperatus: frigidus enim & simul humidus alvi excretiones producit, siquidem poros obstruit & transpirationem impedit, ut humores serosi augeantur, ac per cutem excernendi & exhalandi in corpore remaneant, & ad intestina, ventriculum, aliasq; partes invitentur: hanc ob causam quoque videmus sub finem æstatis, & initio autumni fluxus tales oriri, quod quoque confirmat Gabelchoverus Practicus antiquorum celeberrimus Cent. 3. cur. 73. qui sunt densæ texturæ, & habent cutim spissam & poros arctos sæpius quotidie egerunt, quam qui poros habent apertos, ex quibus vapores & humiditates possunt resolvi, egestiones exsiccantur, & corpora magis sunt constipata.

Imprimis vero nocturno tempore corpus aëri ejusmodi non est exponendum, sed lectis sufficienter tegendum; hinc male agunt, qui apertis foribus & fenestris dormiunt. Cibus Lientericorum talis sit, qui ventriculo & intestinis robur inducit, hinc liquida co-

cta non æque conveniunt, sed assata antecellunt; nimia quoque nocet ingurgitatio ciborum, imprimis vero acriorum, acidorum, crudiorum de quibus jam, ubi de causis egimus, pluribus locuti sumus. Præ aliis dissuademus brassicam muriaticam, vulgo Sauer-Kraut, cujus imprimis Germani maxima copia vescuntur. Melones quoque, cucumeres, & fructus horæi exulent. Potus sit modicus, non tenuis sed consistentior; hinc cerevisia ex hordeo tosto & paulo fortius lupulata præferenda est illis, quæ ex hordeo aëre desiccato & sine lupulo parantur, quorsum pertinet Zittus vulgo Breyhan, aliæque cerevisiæ fermentescentiam & flatulentiam in intestinis inducentes. Vini potum sed generosioris & antiqui non dissuademus modicum. Sulphuratum vero & nimis acidum, nimisque dulce nocet. E contra vero Spiritus ardentes Brandtwein angue pejores sunt fugiendi, item Mustum ob fermentescentiam, quam facile inducit, de qua Schola Salernitana. Impedit urinam mustum, solvit cito ventrem.

Vita non nimis sit sedentaria nec nimis mobilis, nimii enim corporis motus hunc affectum sæpe revocant ut sunt vecturæ & equitationes nimiæ; sedentaria vero vita, dum in subjectis humidioribus transpirationem impedit, & corpus multis serosis humoribus remanentibus replet, ceteris paribus alvi fluxus provocat. Excreta & retenta cum consuetudine respondeant & natura; hæc enim inordinate præsentia, hic subsequitur affectus: somnus sit diutior ordinario, Sudor enim sub illo promovetur. Ab animi quoque pathematibus unusquisque sibi caveat Lientericus, hæc enim non tantum multos affectus damnosos inducere, sed illos quoque jam præsentes exacerbare posse, optime observait Excell. PRÆSES in Organ. & Mechan. Sect. II. Cap. II.

Hæc

Hæc omnia a nobis breviter commendata, ſi rite atque debite obſervantur, non tantum affectus hujus præſentiam tollunt, ſed imprimis ad præſervationem illius recurſus (qui alias non æque rarus eſt) multum faciunt: e contra vero neglectis illis, & ubi ſedem jam fixam occupavit affectus, contabeſcentiam aliosque moleſtos poſt ſe trahit affectus, quos denique mors immediate ſequitur, quæ omnibus rebus & actionibus humanis imponit finem.

Et nobis nunc tempus ſuadet huic noſtræ Tractationi colophonem imponere, noſtra igitur vela expanſa contrahimus, DEOque T. O. M. pro benevolentia ſua atque clementia ad hanc pertractionem conceſſa ſummas debemus atque referimus gratias, illum precantes, ut gratia ſua divina nobis porro adſit, noſtrisque conatibus benedicat. Tibi vero L. B. fœtum noſtrum Academicum Tuoque favori commendamus, rogantes, ut errores in illo Tibi forſan occurrentes benevole emendes atque corrigas.

FINIS.

COROLLARIUM.

Vini aduſti uſus neque ſanis neque morbidis conducit.

(o)

Sehr





Ehr werthgeschätzter Freund,

Mein Geist ist so entzückt,
Daß er die süsse Lust nicht länger kan verschweigen,
Weil er Dich heute sieht den Ehren-Berg ersteigen,
Wo Dich der Aesculap mit Samt u. Purpur schmückt,
Und, da Du ihm bisher als wie ein Knecht gefröhnet,
Mit einen Doctor-Hut Dein kluges Haupt bekrönet.

So gehts, wer Tag und Nacht bey seinen Büchern sitzt,
Und schon von Kindheit an beständig drauf studiret,
Wie er Morbonens Schmertz am glücklichsten curiret,
Der siehet endlich wohl, was ihm sein Fleiß genützt;
Wie wir es jetzt an Dir und Deinen muntern Wesen,
Geehrter Hertzens-Freund, gantz deutlich können lesen.

Der Himmel sehe Dich hinfort nur gütig an,
Und lasse Dich nach Wunsch in Glück und Seegen stehen,

Damit Du mögest stets auf Tuber-Rosen gehen;
Und ich dereinsten auch von Dir erfahren kan,
Daß sich mit Lust bey Dir so Ehr als Reichthum meh-
ren,
Womit Galenus pflegt die seinen zu beehren.

Mit diesen wenigen wolte bey der längst verdienten Doctor-Promotion seines werthen Freundes zugleich seine innigste Freude bezeugen

M. Christoph Sancke.
Gubena-Lusat.



MADRIGAL.

Hygea kennnet Deinen Fleiß,
Und sie bestimmt Dir schon den Preiß
Der wohlverdienten Doctor-Würde.
Sie ruffet Dir. So geh' und nimm ihn an;
Daß sich Dein Freund mit Dir erfreuen kan.
Er wünschet Dir viel Glücke!
So kömmst Du denn vergnügt zurücke,
Jedoch der Tod erzürnet sich;
Er weiß, Du wirst Dich an ihm rächen;
Er schreyet Contra wider Dich!
Auf! auf! Du must ihm widersprechen.
Geh! setz ihm Deine Kunst als einen Wentzel für,
Du wirst es sehn, er strecket sich für Dir.

So schertzet mit seinem Freunde bey dessen rühmlichst erhaltenen Doctor-Würde derjenige, der künfftig

Im Grünen Logiret.

SONNET.

Ein Trieb zur Wissenschafft beseelte Deine Brust
Da sich Dein Fleiß genug in mancher Kunst geübet,
Der Weißheit nachgejagt, und edlen Witz geliebet,
So krönt Hygæa Dich mit innjglicher Lust.
Die Wunder der Natur sind Dir nunmehr bewust,
Du kennst Morbonens Macht, und was ihr Nahrung giebet,
Du zeigst der Dinge Krafft, was labet, was betrübet.
Du weist was dienlich ist, und was du fliehen must.
Empfange nun den Lohn, der längst verdient gewesen,
Laß Schlesien Dein Lob in vielen Schrifften lesen,
Verfolge Tugendhafft den schon gewohnten Lauff.
Der Todt ist voller Furcht, und eilt vor Scham zum Grabe;
Was ich aus Schuldigkeit Dir noch zu wünschen habe.
Ist diß: Erfreu Dein Haus, und hilff den Schwachen auf.

Hiedurch wolte dem hochgeehrten Hrn. Candidato, seinem werthgeschätzten Freunde zu der rühmlichst erhaltenen Doctor-Würde nach Pflicht gratuliren; dessen ergebenster Freund und Diener.

C. G. Grünband.
Jur. Cult.




